

Primo quia ad te uado uenia. **Just** **H**erua
Deo Deo in dno fido. **U**eni emant
Dne in uirtute. **D**ni est te. **E**xaltabo
Serua te dne. **E**xaltare dne iure. **R**espo.

Et passione suam q dies quadraginta apparet

Handwritten musical notation on a four-line staff, including various neumes and red ink markings.

17

ΣΤ'Ν ΘΕΩ ΚΑΙ ΝΩ!

M. GEORG. ANDREÆ
F A B R I C I I
Poët. Cor. Cæsar. Gymnas.

C U R I A

A D
MAGNIF. ET AMPLISS.
S E N A T U M
M U L H U S I N U M.



A D
Magnificum, *inquam*, & Amplissimum
Inclitæ MULHUSÆ,
URBIS IMPERIALIS-LIBERÆ
SENATUM
HAS
DE CURIA

MEDITATIONES POETICAS,
SED ET CHRISTIANAS;
CURIALES quidem; sed minimè CURIOSAS,
opportunè NATAS dicam & an ABORTIVAS?
pro faustissimo

Novi Anni, Renovatiquæ Ordinis SENATORII
Auspicio,

Cum debitâ officiorum oblatione,
donec meliora sequantur,
mitto ac defero

M. GEORG. ANDREAS FABRICIUS,
Poëta Cor. Cæs. Gymnasiarcha.

ANNO MDCCXXX.

CONFESSIONIS LUTHERANÆ
SACRATISSIMO ROMANORUM IMPERATORI
CAROLO V.

OBLATÆ, CENTESIMO

VI. Eid. Januar.



ΣΥΝΘΕΩ

ΚΑΙ ΝΩ!

DElectat VARIUM. variet mihi CURIA Carmen.
Qui regis hanc, præstò mihi sis in carmine JESU!
CURIA nomen habet CURARUM à ponde-

(re; non à

(ceu Synodi Patres † Romanæ, ex ordine longo,
narravere olim) non, inquam, à fonte CRUORIS:
scilicet incautus ne forsan Clericus intret.

CONSILIJ DOMUS † est. Ideò, *Domus ut curarum*
audiat, est ratio manifesta & plana fat omni.

Est Domus. ut PATRUM statuatur ibi esse tribunal.
Sic Pater est Patriæ † JOSEPH. sic pompa QVIRITUM
dicta Senatorum CONSCRIPTI nomine PATRES.
Nec tamen est privata domus; sed PUBLICA, quâ res
curant, qui præbent operam prægrandibus ausis,
consilij, inquam. Quid dicam? summe JEHOVAH,
nempe tuum heïc video nomen, qui diceris AUCTOR
CONSILIJ † Amosidæ. Cur ergò CURIA non sit
ille locus, quo aterna Patris Sapiencia dictat,
quæ facienda sient, quæque hauri facienda, viritim
Christiadum populo? Namq; HÆC in sede DEORUM
adstat, & in medio cætu sic sæpè profatur:

*Quò vos error agit? quid iniquo pondere lancem,
impietatis ad hoc & ad hoc latus, inclinatis?*

A 2

Ista

numero
284.

Raht-
haus.

Gen: 41.
v. 43.

Esa: 9, 6.

Psal: 82.
v. 3. 3. 4.

*Ista notate: Viam vidua praecludite nulli,
non & pupillo. Justum dependite egenis,
justum pauperibus. noceat manus impia nulli,
dispicite. Eripite, eruite hinc, qui talia poscunt.*

Talia Consilij-Princeps vel plura dicat.

*Ergo Jeshades, palmaris adorea Regum,
Consilij tibi sacra Viros oracula poscit.*

Psal. 119.

v. 24.

Prov. 8.

v. 14.

*Quin immò Aeterni Patris Sapientia clamat:
Me penes est omnis sapientia; me penes omne
consilium, robar totum, intellectus & omnis.
Per me sceptragerunt Reges & Principis ora
decernunt justum, meq; Ipsâ Principe Princeps,
Judice me judex terris dominatur & ævo.*

Curia sic CHRISTO solo tibicine fulta est.

Vis & scire locum? Mediâ stat Curia in urbe:

*Cor sit, & in populum vitalis pabula foris
emittat, vegetet civili in corpore partes.*

*Non procul à Templo plerumq; est condita. Nostra
non procul à Ludo. Templo quia servat honorem,
& servat Ludo. Quin Templum & Ludus honorem
constituunt ipsi, primoq; à semine formant.*

*Curia MULHUSINA, tibi vicina Ludi
Gymnasijq; tui placeat. ne degener hospes
adsit & inspiciat non inspicienda propinquis
adsita tecta locis. Omnino Curia Ludum
tutiùs inspiciet, quàm Ludus iniquior Illam.*

*CURIA plerumq; est civili à sede remota,
libera ab adpositis domibus; sibi propria servat
tecta. Quid hoc aliud? quàm non colludere rebus,*

non

non & personis; sed libera vota referre.

Curia habet plures, ex omni parte, fenestras:
ut latus inspectet quodvis, vigilesq; per urbem
efferat hinc atq; hinc oculos; moderamen in omnem
expromat populum, summum cognoscat & imum.

Curia amat plerumq; forum. non *Nostra*; sed imâ
conditur in radice fori, *medioq;* supremi,
extremi & medij (frumentorum illius) exstat:
ut nempe ex *medio* partes speculetur in omnes.
In *medio* Virtus. *medium* tenere beati.

Ex *medio* censura venit. vir consulit æquus
in *medium*. ex *medio* iustum se extendit ad omnes.

Ex *medio* repetunt causas, & iura requirunt.
Ex *medio* Patres jus, merces factaq; pensant:
quid lanuus, pistor; quid venditet institor, & quid
Pharmacopola coquat; Propola præoccupet urbi.

Ornamenta tui porro vis, *Curia*, dicam?
Ornamenta alij splendoris opumvè requirant:
culmina tectorum sublimibus edita pilis;
intus, & augusti subter fastigia tecti,
concamerata jugis & crebro fornice claustra;
hic, illic statuas; emblemate vermiculato
picta tapetia; vel solidatum calce nivali
supremum ac medium; sed & imum ac intimum ubiq;
atq; auro pictum candenti in pariete limbum.
Quid si auro gravidas argentoq; addere tentem
cistarum moles? Quamvis ubi talia jam-nunc?
Utopiæ memoro sedes, & eburnea portæ,
tædia verborum post illa, repagula quæro.

- Ornamenta tui, quæ dicam, CURIA, sunt hæc:
1. RELIGIO vera & PIETAS enata per ipsam;
 2. JUSTITIA & LEGUM, quæ norma illius, habena;
 3. LEGES quæ exsequitur constans & prompta VOLUNTAS;
 4. ORDO BONUS quævis in causâ, in parte negotii;
 5. CONSILII recti prudens & idoneus AUCTOR;
 6. FIDA MINISTRORVM SERIES & strenuus ordo.
- His ornamentis quæ gaudet Curia, felix
illa satis, decorata satis, satis ampla putanda est.

Gratulor hanc Mulbusina Tibi, mea Curia, sortem!
Ornamenta tui præstantia gratulor isthæc!
Externum per iniqua bonum si tempora defit;
non tollit Fortuna tamen, quæ cætera præstant;
non tollit formam, quamvis obscuret, honestam.
Defectus Sol Luna suos patiuntur in æthrâ;
Mars & Saturnus radio persæpè nocenti,
conjuncto, opposito, quadrato, ea lumina lædunt:
attamen ipsa suis, reparatâ luce, vicissim
vultibus apparent, terramq; & sidera lustrant.

Defectus patimur nostros? *Patientia!* Turbæ
non hæc semper erunt. *Tandem* exitiosa peribunt
nomina. cessabit malè-fidi injuria secli;
extrudetur hyems; surget *post Nubila Phæbus.*

Te Mulbusina, diu, voveo, sis, *Curia,* felix!
Consilij sis prompta *Domus,* *Christiq;* *Monarchæ*
Ignis & Ara tui. nunquam Te copia rerum
deficiat, nunquam præclarâ mente *Senator!*
Jacturam Helmstorffi, Reinbar di, ò sarciat ille,

à Quo

à Quo cuncta suo descendit jure *Potestas!*
Te quicquid decorat, *Te* quicquid servat *adesto!*
Te quicquid fœdat, *Te* quicquid lædit *abesto!*

Rom: 13.

v. 1.

Curia sic dicta est mihi. Vos qui adscenditis illam;
ad clavum qui sedistis; jam quivè venitis,
augustam his animis sedem cognoscite vestram,
his lustrate oculis; totumq; impendite vestrum
consilium *Christo-Domino, Christiq; ministris!*
Sic magis atqve magis reddetur *Curia* felix;
sic vos vera Fides & *Curia* læta beabit.

Vos qui paretis, ne vos *incuria* perdat,
Curia commoneat, vestro invigilare frequenter
officio, *Christiq; Domum* reverenter habere,
Atrium, ubi in medio stat & ambulat *Ille, Deorum.*
Curarum scitote *Domum*; ne fingite falsum,
esse *voluptatum*. Satis est mihi *Curia* *salve!*



Nomina

N O M I N A
D O M I N O R U M C O N S U L U M

Anagrammaticè resoluta :

I.

*Christianus Obemius J. U. Doctor, CONSUL.
O Tu non heic solus. Curia Christi Domus!*

Evolutio.


O Tu non heic solus eris. nam *Curia Christi*
est *Domus*. Hic stabit proximus ipse Tibi.

II.

*Heinricus Schmidt CONSUL.
CHRISTI Domus hinc lucens.*

Evolutio.

C Ana Fides, constans Pietas oriantur, eritque
hinc lucens CHRISTI Curia nostra Domus.



C U
 MAGNIF.
 SEN
 MULH
 F A B
 Poët. Cor
 ΣΤ'Ν Θ

